

1217.

[m. 8.]

*De castro prosternendo.*—Mandatum est Olivero de Albuniaco, quod castro de Porecestre funditus prosterni faciat, et nisi illud omnino possit prosternere, illud idem comburi faciat. Teste comite, apud Wintoniam, xxvij die Aprilis.

*De conductu.*—Dominus rex dedit salvum et securum conductum suum Hugoni Grosso, militi, et servientibus et balistariis et aliis, qui fuerunt in castro Merleberge, in revertendo ad partes suas usque ad diem Martis proximam ante Ascensionem Domini, anno regni sui primo. Ita tamen quod illos, qui eos conducunt, salvo conduci faciant, donec venerint in potestatem ipsius domini regis. Teste comite, apud Merleberge, xxix die Aprilis, anno eodem.

*De obside deliberando.*—Rex Philippo Marci, salutem. Mandamus vobis quod, accepta securitate ab Agatha, uxore Willelmi de Albuniaco, simul cum plegiagio W. comitis Sarrisburie, et W. Marescalli, junioris, quod infra viij dies post summonicionem nostram revertetur in prisonam nostram, si obsides, quos prius nobis liberare promiserat, habere non possit, tunc ipsam Agatham, sine dilacione et difficultate aliqua, predicto Willelmo liberetis. Et in hujus rei testimonium, has literas etc. vobis inde mittimus. Teste comite, apud Merleberge, xxix die Aprilis, anno regni nostri primo.

*De denariis liberandis.*—Rex majori et probis hominibus Bristoll', salutem. Mandamus vobis quod, sine dilacione et difficultate aliqua, faciatis habere dilecto et fideli nostro W. Marescallo, juniore, sepcies xx libras esterlingorum in denariis vel mercandis ad valenciam sepcies xx librarum, et illas vobis allocari faciemus in debito quod nobis debetis. Super quo tantum facere curetis, ne pro defectu vestri dampnum nobis eveniat. Et in hujus rei testimonium, etc. Teste comite, apud Divisas, iij die Maii, anno regni nostri primo.

*De foresta commissa.*—Rex omnibus forestariis, viridariis, et aliis de foresta de Chipham et de Melkesham, salutem. Sciatis quod assignavimus forestam de Chipham et de Melkesham cum pertinenciis suis ad sustentacionem castri nostri Divisarum. Et ideo vobis mandamus quod Johanni Marescallo, constabulario predicti castri, de predicta foresta in omnibus sitis intendentes et respondententes. Et in hujus rei testimonium, etc. has literas etc. vobis mittimus. Teste comite, apud Divisas, v die Maii.

*De conductu.*—W. comes Warennie habet literas domini regis de conductu sine termino, in eundo per totam potestatem domini regis. Ita etiam quod si quis de suis, ex parte sua missus fuerit ad dominum regem, vel ad fideles suos, cum literis ipsius comitis patentibus, libere possit transire per potestatem domini regis. Teste comite, apud Oxoniam, ix die Maii, anno regni domini regis primo.

*De custodia episcopatus.*—Rex omnibus militibus, libere tenentibus, et aliis de episcopatu Sarisburiensi, salutem. Sciatis quod comisimus